


AK. 526, 28. (X 199404P) B. M. II 488.

ORATIO
DE CLARISSIMO
ET ORNATISSIMO VIRO.
D. GEORGIO
SABINO.



RECITATA AD TV
MVLVM EIVS III. DECEM-
BRIS, ANNO M. D. LX.

*ABDIAS PRÆ-
TORIVS.*

FRANCOFORDIÆ
AD ODERAM,
ANNO

M. D. LXI.



f3

OTIA

VI

VI

VI

VI

ORATIO DE D.
GEORGIO SABINO.



Optima prima ferè manibus rapiuntur auaris; Implentur numeris deteriora suis. Tam tristem querimoniã, tam lugubrem vocẽ vetus quidam scriptor posteritati reliquit, cum doloris sui significationem de immaturo quodam interitu extare notamẽ cuperet esse. Quanto verò rectius, quanto iustius idem ab omnibus nobis in hac exuuiarum Sabini nostri depositione, in his funebribus congressibus, in his quasi vltimis exequiis & parentalibus, in hoc publico luctu & potest et debet etiam usurpari. Quotus enim quisq; est, qui non vel compertissimum habeat, qualẽ eum in hac Academia experti simus? Quotus etiã quisq; est, qui nõ iudicarit eum cum

A 2

veteris

veteribus ita conferendum, vt nonnullos non mediocri post se reliquerit intervallo.

Etsi autem à Pericle superuacaneum existimatum est, verbis magis quam rebus animi moerorem in publico luctu & in funeribus magnorum virorum conspicuum facere, tamen illam etiam in hac nostra militia consuetudinem retineri magnopere prodest. Decet enim summorum virorum virtutes subinde ob oculos versari, & memoriam eorum ad omnem transmitti posteritatem. Neq. n. sine graui consilio ab Euripidis Vlyssæ dictum videtur: οἱ βάρβαροι μήτε τοὺς εἰλκε εἰλκε ἢ γέθε μήτε τοὺς καλῶς τε θνηκότες θαυμάζεθε. Ita & Achillem Homerus introducitur magnorum virorum laudas decantantem, cum inquit: ἄεθε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν. Id verò de Achille dictum Alexandro Magno summopere placuisse, ex illis, quæ apud Plutarchum sunt, descriptionibus abundè cognoscitur.

Talia

Talia cum intueor, talia cum animo
mecum reputo, committendum profes-
cto nemini nostrum arbitror, vt in his
calamitatib. nostris otiosi similesq; ster-
tentibus vel potius somno sepulti videamur.
Etsi autem & virium mearum exi-
litem agnosco, & moeroris mei con-
sciis mihi sum, quorum vtrumq; iustis-
simam solet excusationem demereri, ta-
mē amici imago ob oculos mihi versans
& memoria eius nunquam apud me in-
termoritura, omnem excusationis ratio-
nem adeo perimunt, vt existimē nec ipsi
nec mihi etiam aliter à me satisfieri posse,
nisi voluntatis meae significationē edam,
& instar testimonij apud vos deponam.

Constat autem eximiam quandam
in familia maiorumq; ornamentis vim
inesse, sicut eruditissimē dicitur: In so-
bolem transire solet cum semine
virtus. Quam possent autem & multa
& magnifica de parentibus Sabini nostri
& de tota eius familia commemorari.

A 3 Nam

Nam non tantum suus quidam maiorum, cum in hac mortalitate versarentur, splendor erat, sed & recentiores, quibus cum vna communis nobis est vita, maiorum suorum vestigijs insistent, seduloq; sese ad imitationem componunt. Omitto hic cum alia multa, tum illud etiam, quod loquentem eum interdum de communi familia cum ornatissimo & sapientissimo viro Thoma Matthia, cuius virtutes cum alijs multis admirari solebat, audiui.

Sicut autem ab ipsis propemodum incunabulis ingenij vis elucere coepit, ita mature docentibus est commissus. Sed meminimus eius querelas de temporum illorum confusionibus, ne quid interea de docentium ignavia dicam.

Cum aliquos tandem in primis elementis progressus fecisset, missus a parentibus est in Academiam VVitebergensem, & traditus Domini Philippi, cuius tū etiam autoritas summa erat, domesticae

mesticæ cum disciplinæ tum etiam edu-
cationi. Ac credo eum, quantum audire
memini, propemodum eodem tempore
ex impuberibus ad Ephebos & ex pæ-
tria illud studiorum emporium excess-
sisse annis ab hinc triginta septem.

Quæ verò qualiaq; studia eius in illa
institutione fuerint, Cæsares Germanici,
quos reliquit nobis & in quibus maior
est quàm pro illa ætate doctrina & sapi-
entia, luculentissimè testantur. In illis
enim de seipso scribit: Hoc opus exe-
gi florentibus integer annis, Bis
duo cum natus lustra Sabinus
eram.

Illud ipsum autē disciplinæ tempus mul-
tis ei nominibus vtile fuit. Nam & præ-
ceptis & exemplis domesticis abunda-
uit, in illa videlicet apud tantum doctri-
næ morumq; artificem educatione. Me-
mini eum diligentiam Francisci Vina-
riensis, qui partem aliquam institutionis

A 4 adminis

administrauerat, prædicare: Memini
narrationū eius de poëticis quibusdam
cum Ebnero Noribergensi, vt alios præ-
teream, certaminibus. Valdè se excita-
tum ab Eobano ferebat, ac multū etiā
in eo genere Ioachimo Camerario tribu-
ere solebat. In istis scribendi rationibus
atq; exercitijs cum sedulo versaretur, &
specimen aliquod in Poëtarum quorun-
dam congressu edidisset, placuit illis Sa-
binum pro Schulero, quod ipsum tamen
nomen occultè alioqui ferebatur, nuncu-
pari.

Inciderunt in illa tempora, cum pau-
lo ante magnæ fuissent in religione mu-
tationes factæ, crebræ deliberationes, cre-
bræ collationes, crebri Principū & The-
ologorum congressus. Instituta tandem
etiam sunt Comitā Augustana, illa vide-
licet, in quibus fidei nostræ confessio Ca-
rolo Quinto solenniter à Protestantibus
exhibita fuit. In his omnibus pars ali-
qua Sabinus erat, sed interdum vt Co-
mes, interdum vt Ἰσαματῆυς, interdum
vt Acha-

vt Achates. Vidit ibi valde multa, cognouit multa, quorū cognitio & auctoritatem ei apud amicos pariebat, & in multis negocijs rectius consulendi materiam seminacq; præbebat. Talem usum rerum non defuerunt, qui sæpissime sibi optarunt, præsertim vt nunc se dant tempora, in quibus omnia sunt expectanda, sicut à Græcis rectissime dicitur, ἅπαντα προσδοκᾶν ἕκαστὸν ἀνθρώπου ὄντα. Non libet hic reliqua commemorare, quæ ab ipso copiosissime narrari solebant. Illud nihilominus præteriri non potest, quod ea propemodum tempestate notus esse cœperit Illustrissimo Electori Ioachimo, secundo Domino nostro clementissimo, cuius tanta erga eum gratia fuit, vt & familiarissimis eum colloquijs dignatus sit et beneficijs multis magnisque profecutus.

Constat autem Italicis etiam studijs temporis eum nonnihil tribuisse: Sed antequam eò proficisceretur, & cum ad ipsum esset accinctus iter, constitutum

A 5 prius

prius est inter ipsum & Melanthonem de affinitate illa, quæ postea consummata fuit. In ipsa verò Italia cum doctissimis & summis in doctrina liberali viris sese coniunxit, & eam contraxit familiaritatem, quæ tam ei ornamento fuit, vt ne quidem optare maius potuisset, ac erit deinceps in omnem posteritatem. Non enim dubium est Bembum & Egnatium, vt alios omittam, tales extitisse, vt nomen eorum immortale futurum videatur. Etsi autem in illis Italicis eius rebus permulta nobis de honoribus, titulis & priuilegijs, quibus ornatus in Germaniam redijt, exponenda se offerunt, tamen, vt inde discedam, & temporis angustia & alia quædam hortantur.

Rediens in Germaniam Erasmum adijt ab Egnatio Baptista commendatus. Ac vidit Erasmum in vltima senectate, cum & corpus eius & oculi & ipsæ ingenij vires, sicut aiebat, languescere & quasi in declinatione esse viderentur. Nihilominus

hilominus gratulari sibi solebat, quod se-
nis etiam cū conspectu, qui profecto ve-
nerandus & est & debet esse, tum etiam
colloquio fretus fuisset.

Paulo verò post affinitas, quæ verbis
inita fuerat, re ipsa confirmabatur. Id quo-
modo gestum sit, quid attinet referre?
Hoc verò ipsa docuit experientia, quòd
ab illo tempore nomen eius, autoritas,
honos, laudesq; creuerint, ac magis ma-
gisq; fuerint amplificatae. Nec tamen il-
lud quasi in eruditionis atq; virtutum
præiudicium accipi velim. Ea enim &
prima fuerunt existimationis initia &
habuerunt suum etiam deinceps pondus
atq; momentum.

Talis cum esset, talibus ornamentis
cum alijs multis præemineret, placuit
Electori & Domino nostro clementissi-
mo Ioachimo secundo, vt partes aliquæ
docendi in hac Academia ipsi commen-
darentur. Venit igitur huc & venit an-
nos

nos nondum, vt apparet, triginta natus:
Et attulit eximias ingenij dotes. Ac ea
quidem in re perpetuum ipsi testimo-
nium Oratio, quæ de Eloquentiæ laudi-
bus recitata fuit, in omni posteritate per-
hibebit. Quid opus est, multis? Quid
dicam de professione? quid de studijs
eius erga rem literariam amplificandam?
Quid de autoritate? quid de inspectio-
nibus totius Academiæ ab Electore
commissis? Quin & illud prætereo,
quod & publicis colloquijs & amplissi-
mis Imperij conuentibus interfuerit ius-
su iudicioq; Illustrissimi Electoris. Tam
enim illa plerisque sunt nota, vt vel his ad-
monitionibus non admodum habeatis
opus, tantum abest, vt integras exposi-
tiones à me requiratis, cui tanquam ho-
mini nouo nihil est in his amplius no-
tum, nisi quantum vel ex ipsius Sabini
vel ex aliorum sermonibus qualicunq;
studio diligentiaq; cognoui, obseruauit,
memini.

Iam & hoc illud vobis exploratissim-
um

mum esse quomodo ex hoc vetere literarum emporio ad instaurationem noui in Prussiam profectus sit, quis dubitabit? Atq; ibi quidē initia lætissima fuere. Nā & autor istius in Monte Regio Academię fuit, & commissi ei sunt primi fascēs, & solus illos totum tenuit triennium, & tenuisset deinceps, nisi, quod vsitatū est, inuidia contentionesq; nouarum rerum occasionem dedissent. Inciderunt tandem annis ab institutione Academię non multis Osiandri disputationes, quibus fastus, ambitio, æmulationes & contentiones & primam aperuerunt fenestram & robur aliquod indies addiderunt, donec illud tam horrendum ac triste erumperet incendium, quod videmus in Prussia præcipuè grassatum esse cum multis Ecclesię Reipublicæ in illa præsertim regione discriminibus & inenarrabili conturbatione.

Ea verò tempora sicut erant confessionis tempora, ita suæ quoq; fidei, quam debuit,

debut, eam reddidit rationem, in quo
Petri consilium sententiamq; secutus est,
qui omnes ad rationem reddendam pa-
ratos esse vult & hortatur. De his verò
negocijs memini grauiſſimarum eius
commemorationum, sed & illas in bre-
uem contrahere fasciculum quis potest?
Quod si fieri vel maximè posset, tamen
nec liberet nunc nec vestris esset auribus
dignum in hac tanta temporis penuria.

Ex Prussia tandem cum in has regio-
nes rediturus audiretur, erant eius paulo
plures competitores: Et agebatur apud
ipsum de tribus potissimum Academijs.
Sed vicit amor patriæ, & placuerunt ve-
teres nidi, veteres collegæ, veteres amici.
Ab eo verò tempore quid egerit in Aca-
demiæ negocijs, quomodo consilijs &
opera Rem nostram publicam iuuerit,
quæ symbola ad ornanda doctrinæ stu-
dia contulerit, si recitandum mihi sume-
rem, quam essem & quam possem etiam
ineptus videri. Quin & illud omitto,
qualis

qualis fuerit eius in Principum negocijs
vſus, quàm non grauatim in exteras na-
riones mitti ſe paſſus ſit, quantis in peri-
culis fuerit in illis legationibus verſatus.
Quæ verò fides eius industriaq; fuit,
eam in illis etiam negocijs præſtitam eſſe,
quis eſt, qui poſſit in dubitationem vo-
care?

Ex hoc ipſo vero vel ſtadio vitæ vel
curriculo quantumuis de pleriſq; virtu-
tibus eius non contemnendum poſſet fi-
eri iudicium, tamen aliquæ tales fuere, vt
peculiaris eis non immerito tribuatur lo-
cus. Scimus omnes, quanta fuerit eius in
rebus gerendi fides & industria, adeo vt
natiuæ fuiſſe videantur. Excelluit ingen-
tibus ingenij donis, quod inficias ire ſine
inuidiæ crimine nemo poteſt: Sed ta-
men illis adeo non eſt abusus, vt perpe-
tua ſit modestia conſpecta. In primis ve-
rò luxit in eo nobiliſſimus ille virtutum
chorus, in quo communi quaſi vinculo
coniunguntur, Temperantia, Sobrietas,
Verecundia, Pudicitia, Caſtitas.

Quod

Quod verò primum omnium est, in religione semper ita fuit à Deo gubernatus, vt in illis tantum conspectus sit castris, quæ pro gloria Christi sedulo strenuèq; militârunt. Nulla mihi, quoad mens oculiq; mei respiciunt, comperita sunt exempla, in quibus vel λαποτάκτης vel ἀποσάκτης, stationis videlicet suæ desertor & transfuga factus fuisset. De Osiandri locutionibus & paradoxis quid senserit, ipso declarauit opere, totiq; mundo conspicuum effecit. De Sacramentarijs autem & alijs aliorum certaminibus, quæ magno furore mota sunt & suos adhuc patronos obtinent, fateor me testimonium ei cum in hac vita, tum in ipso etiã communi de omnibus hominibus iudicio, quantum quidem ex colloquijs atq; sermonibus obseruari, debere.

De lucubrationibus, quas nobis posterisq; reliquit, quàm possent exponi nec pauca, nec sine magno splendore vel dignitate. Omnes ingenij vires ad Poëseos

seos

seos & eloquentiæ studia contulit: Sed
quid dico contulit; imò exhaust, adeo ut
ad illa natura comparatus esse videretur.
In utroq; certè genere multis excelluit
virtutibus, & his præcipuè, quæ in
vniuersum requiruntur, Inuentione, dis
positione, elocutione, compositione.
Carmen eius elaboratissimum esse con
stat, in quo non tam luxu quam ornatu
necessario delectabatur. Ac scimus eum
sibi ipsi morosi nomen in iudicando car
mine tribuisse, ne quid de similibus vo
cibus referamus. Magnæ mihi tenuitatis
sum conscius, interea fateor tamen me
mirificè semper poëmatis eius affectum
esse. Cæsarum profecto descriptiones, in
quibus ἀνδρῶν κλέα ἀείδει, magnorum vi
rorum laudes decantauit, & elegantia &
eruditionis & sapientiæ continent ex
empla. Audiui nonnullos, qui hunc eius
versum eximie prædicarunt: **Indicat**
infelix operosi cura sepulchri,
Quanta mihi misero spes sit adē

B

pta

pta patri. Sed verè Cygneum illud est
poëma, quo Melanthonis nostri funus
condecorauit: Hic inuicte tuus col
lega Luthere Melanthon Non
procul à tumulo conditur ipse
tuo. Vt sacra doctrinæ concor
dia iunxerat ambos, Sic sacer
amborum iungit hic ossa locus.

Sed de hoc toto genere ex ipsis eius
scriptis longè potest vberius quàm ex
vllius commendatione iudicari. Nec du
bium est posteritatem, quæ liberius & si
ne priuatis affectionibus iudicat, aman
ter, honorificè, pieq; de bonorum studijs
locuturam.

Talis cum esset, alios etiam cum ex
emplo suo tum admonitionibus, consi
lijs & institutionibus ad similes studio
rum cursus, excitauit. Quid hic euenerit,
non ignoratis. In Prutenica certè Aca
demia multos inuitauit, ex quibus ad sua
quædam fastigia pleriq; progressi sunt.
Nam

Nam quis est, cui non magnopere placeant poemata Boceri, Codicij, Fidlerij, Holtorpj, Davidis Milesij, Heinrici Mollerij Hefsi, in qua quidem serie noster etiam Schosserus nequaquam est praterendum. Ac eos profecto Sabini nostri adeo non pudet, ut credam ipsos de disciplina, colloquijs, amicitia & commendationibus tanti viri sapissimè sibi gratulari.

Nihil hinc de illis eius beneficijs commemorabo, quibus multorum auxit honores. Illud enim quis ignorat? & quis est, cui non constet κοινωνικωτατορ istius privilegij, quod in conferendis honoribus propter virtutem concessum ei fuerat, extitisse non sine summa facilitate atq; munificentia?

In habitu cultuq; conspeximus eum alias dignitati, alias quotidianis vitæ rationibus consulere. In eo verò si cui suum iudicium placet, ad superiora se referat, & virtutes potius quam externa metiatur.

B 2

Sed

Sed vt ad finem aliquando sese conuertat oratio, cum in Iulio mense legationē Italicam obiturus esset, solebat interdum animi sui de vita sollicitudinem quasi vaticinans euentum amicis explicare. Ac est etiam in eadem vna cum omnibus, quos in comitatu habebat, aduersa valetudine correptus. Ipse quidem Florentiæ primum omnium laborare coepit, & erupit malum illud in Quartinam tandem Febrim. Interea profectioes adeo non intermisit, vt indies ferè progrediretur, nisi quòd Augustæ morbi violentia fracto tres propemodum septimanas decumbendum fuit. Reuertens ad suos mense Nouembri tam adfert exhaustum atq; debile corpus, vt totum illud, quod superfuit tempus, solo decubitu consumpserit. Interea pietatis, confessionis & inuocationis exercitia retinuit, adeo vt non tantum audiuerit à nobis confessionis & precationum formulas, verumetiam vna nobis scum in plerisque sit sua ipsius & viua voce con-

se confessus & precatus. Valde verò delectari se suauissima Christi concione significabat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos. Sicut autem ad vltimum vsq; halitum integerrima mente fuit, ita in vera filij DEI agnitione expirasse eum, cum antea piam confessionem ediderit, quis est, qui dubitarit?

Sic igitur æterni DEI vocationi obtemperans ad cœlestem illam Angelorum & Sanctorum societatem concessit, secutus videlicet socerum suum & Reuerendissimum senem Melanthonem, cuius haud dubiè sermonibus & consuetudine suauissimè nunc fruitur. Alioqui si quis ætatem spectet, constat eum annos paulo plures adhuc superstitem esse potuisse. Nam in ipso medio quinquagesimi tertij anni, quod octauum Climactericum medium est, suauissimam Solis desijt aspicere lucem, natus videlicet anno à nato Redemptore Millesimo

B 3 quinz

quingentesimo octavo, 23. Aprilis sub
septimam matutinam.

Sed facimus finem & sistimus hic
gradum. Et quanquam plurimas com-
memorationum materias nobis neque le-
ues neque paucas reliquit, tamen ab illis
nunc est abstinendum. Ex ijs enim, quæ
dicta sunt, sicut præcipuas partes obti-
nent, ita & iudicium de cæteris fieri &
exempla virtutum depromi possunt.

Vtinam autem æterni Dei beneficiũ,
qui tanti viri usum Reipub. concessit,
agnosceremus. Vtinam non essemus in
illo numero hominũ, de quibus vetustas
conqueritur: Omnia sunt ingrata,
nihil fecisse benignè est: Ἀπονέμει
τῆς ἀμάξης, τῶν δὲ ὄνων οὐ μέλα. Vtinam
huius anni vulnera, quæ ex interitu Me-
lanthonis communissimi præceptoris, &
nunc Sabini nostri accepimus, sobriè se-
duloque consideremus. Vtinam his & si-
milibus

milibus exemplis moueremur, & ab illis
nos seiungeremus, de quibus Pindarus
conqueritur: ἢ ἄλλοτρίων οὐ μέλα ἀν-
θρώποις. Vtinam in mentem nobis sa-
pissimè veniret, quod grauissimè dictum
est: Iustus perit & nemo est, qui con-
sideret; Viri p̄ colliguntur,
& nemo est, qui at-
tendat.

Ἐ
DIXI,



B 4

RECTOR

RECTOR ACADÉ-
miæ Francofordianæ,

Nunc miserande refer solitas Hyacinthe que
relas,

Ac tenera tristes exere fronte notas.

Eheu summa iacet Musarum fama Sabinus,
Heu Clarie sonitus interiêre Lyre.

Defuit immiti post tot fera funera Parcæ,
Ne sineret terris hoc superesse decus.

Quid properata canam præstantis fata Micylli?
Quid referam cineres doctæ Philipe tuos?

Quos Nicer obscuris moestum caput abditus antris,
Albis adhuc medias luget & inter aquas.

Ne reliquis Viadrus fluiijs felicior esset,
Ipsius heu uatem sustulit atra dies.

Plange, tuumq; feri palmis Elegeia pectus,
Nec pudeat miseras ungue notare genas.

Ille tibi priscos renouauit solus honores,
Ille tibi cultum Palladis arte dedit.

Nec minus extinctum luge Germania Vatem,
Historie debes cui monumenta tuæ:

Quiq; bonas artes & publica commoda iuuit,
Ac cecinit summo carmina gratæ Deo.

Ah nis

Ab nihil ingenium quod funera saeva moratur,
Et dulcis pietas, ac sine labe fides.
Nos autem, quibus est tam clarum lumen ademptū,
Odera cœruleis hîc ubi serpit aquis:
In primis lugere decet, gemitusq; frequentes
Edere, nec lachrimas continuisse pias.
Hoc etenim uirtus & tanti fama poëtae,
Dignus & æterna laude meretur honos.
Ergo ubi signa dabunt sub turribus æra, iuuentus
Omnis funestam confluat ante domum:
Et gratos animos testetur honore sepulchri,
Flectat & iratum supplice uoce Deum.



B 5

ELEGIA

ELEGIA TOBIÆ
Hubneri Berlinensis.

SI quis ad hos sicco subsistis lumine luctus,
Duraq; non ullis fletibus ora rigas,
Editus humano non esse putabere lecto,
Sed genus à seuis ducere triste feris.
Ecquis enim, nisi robur alens in pectore durum,
Non aliquo madidas proluat imbre genas?
Dum tibi uenturis prærepte Sabini periclis,
Soluimus & cineri dum pia iusta tuo.
Aspice, tecta nigro pullam uelamine frontem,
Defleat ut Vatem Musica turba suum.
Tristibus & tundat lugubria pectora palmis,
Hei mihi, nam quantum perdidit illa decus:
Præstantem quis enim uera uirtute Sabinum,
Dotibus ingenij qui superaret, erat?
Ille sacros prima patefecit laude recessus,
Quos sacra Castalij numina fontis habent.
Ille sui florentis honos pulcherrimus æui,
Marchica quo maius non tulit ora decus.
Primus Apollineo correptus numine Vates
Aonides patriæ duxit in arua sue:
Mulsit & allectas iucundo carmine Nymphas,
Odera quas doctas educat inter aquas,
Odera

Odera qui patrios inter celeberrimus amnes
Marchiacos leni flumine findit agros.
Quem nunc fata sui cum tangant tristia uatis,
Humida turbati gurgitis antra petit.
Pallidus & lachrymis per aquosa cadentibus ora
Sœua uocans querulo murmure fata, gemit.
Quod si mœsta mouent hæc tristem funera fletum,
Quas ea non multum fata morantur, aquis,
Te magis heu longo decet indulgere dolori,
Hac quicumq; libris hospes in urbe uacas:
Te magis hæc angat tanti iactura Poëtæ,
In tua qui propero funere damna cadit.
Ergo tuum studio testare probante dolorem,
Manibus & Vatis solue suprema tui
Viscera cum tristi condentur humanda sepulchro
Tam pia, funestos æra dabuntq; sonos.



QVE

QVERELA IOHAN-
nis Langij Halbersta-
densis.

Venit moesta dies infausti plena doloris,
Sustulit heu nostrum qua mors truculenta

Sabinum,

Qui fuit hoc nostro decus ingens tempore mundi,
Nobile dum toto sibi nomen in orbe paravit.

Ah quod non plures uitam protraxit in annos,

Hei mihi fatales quòd cum rapuere sorores.

Sed mors humano quia gaudet funere, qui sunt

Vsibus edocti longis, hos abripit omnes,

Ne possint toti seruire diutius orbi.

Hoc patet eximij nobis in morte Sabini,

Stamina cui Parca iam praesecuerit puellae.

Quare Gorgoneo quotquot de fonte biberunt,

Incessabilibus sua fletibus ora rigabunt.

Nam iacet heu nostri non ultima gloria saeculi,

Si tamen omnino iacet aut euanuit ille,

Cuius nulla potest laudes abolere uetustas.

Et quia praesenti iacet hac tumulatus in urna

Expectans certò uitam sine fine futuram:

Nos decet, ut toto meditemur, quid sit agendum,

Pectore

*Pectore, uitali dum uescimur aetheris aura.
Ergo Sabine uale, requies tibi parata perennis,
Ad quam post finem mundi tua membra resumes.*


F I N I S.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the upper middle section of the page.





QX 77 n 9021

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8)

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



BPm. II 488.

MO
RO.

II m
9021

TV
EM

AE

DIAE

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

CA
NA

